

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

31
35

NUPTIIS

REVERENDI ET OMNI VIRTUTUM DO-
ctrinarumq; genere ornatissimi viri, Dn. M. AUGUSTI
SAGITTARII *Dresdensis, Ecclesie Bremensis ad*
D. Ansharium *concionatoris fidelis-*

sini, II. Sponsi:

CUM LECTISSIMA PUDICISSIMA *Atq;*
virgine ELISABETHA,

CLARISSIMI AT-
QUE INPRIMIS REVERENDI VIRI,
D. CHRISTOPHORI PEZELII, SS. THEOL.
D. & Professoris, Ecclesiarum Bremensium Pa-
storis & Superintendentis vigilantissimi, deq;
universa Germania optime
meriti, filia:

Celebrandis ad D. XXIV. Augusti.

GRATULATIONES

Consecrate à Profess. & amicis in Acade-
mia Marpurgensi.



Marpurgi, typis Pauli Egenolphi. 1591.

181

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Fragment of text from the adjacent page, including words like 'Pr', 'Al', 'Al', 'Af', 'Du', 'Ca', 'C', 'Q', 'C', 'Q', 'T', 'Q', 'Et', 'Ex', 'Ne', 'Erg'.





CARMEN DE SPIRITUALI CON-
NUBIO INTER CHRISTUM ET ECCLE-
SIAM, SCRIPTUM R. V. M. AUGUSTO S.
SECUNDUM SPONSO.



Ensis hic *Augustus*: lux hæc *augusta*: Magister
Augustus Sponsus: sponsa est *augusta*, puellas
Ante alias delecta viro, castissima virgo,
Pezelio sata patre pio: qui sicut honestum
Nomen habet Christi de nomine: sic quoq;
Christo
Ponè crucem gestat: fert alto pectore Chri-
stum:

Pro vero Christi fortem se præstat Athletam,
Augustos *augusta* decent: O sedibus assis
Aethereis delapsa mihi: me numinis aura
Affla Diva tui Uranie: mea luminis igne,
Dulcis amor, flagrare tui præcordia faxis:
Carmen ut *angustus* verbis rebusq; poëta
Augustum possim tenui deducere filo,
Quod benè sponzorum dulci sub imagine pingat
Connubium Christi, quo sponsa Ecclesia gaudet,
Quam *Gnato* Genitor per sacram agglutinat Auram.
Dum loquor, ecce orata refert Dea talia voce:
Tun' petere *augustum* debes hoc tempore metrum?
Quo caput exercet moles operosa laborum,
Et nimio Canis igne furens infesta cerebro
Excoquit humorem, spiraculaq; tenuia carpit.
Nec mihi fas studio absq; tuo dictare, quod optas.
Ergo sat *angustâ* est *angusto* tempore Musâ

Pandere connubii memorabile Sacramentum.

Psallite Christiades, *Augusto* applaudite sponso,
(Qui sanctos iterat, fato ducente, Hymenæos)
Dum canimus Sponso, Christi memoramus amorem,
Quem nulla eloqui vis ullo edifferet ævo.

Quando homini soli sapientia summa creantis
Censebat non esse bonum, benè provida Adamo
Sopito vegetam cum carne & sanguine costam
Exeruit: sociam vitæ hinc condidit Evam,
Evam nobile opus, Veneris formosius astro.
Et somno excusso (pro costa carne recepta)
Adduxit, dedit inq; manum, nudamq; puellam
Hanc tibi, dixit, habe: Tum numine plenus Adamus
Vaticino excipiens, Hoc os ex ossibus, in fit
Plenus amore, meis: huic massa simillima massæ:
Et de carne mea caro: (me me agnosco) vocabunt
Ritè viram, quòd sumta viri de corpore spiret,
Perpetuâ huic hæsurâ fide, ut duo corpora in unum
Nexa semel coëant, fiantq; caro una, cor unum.
Arctior in terris alia hæc conjunctio nulla.

Abditus hîc sensus quantus! mysteria quanta!
Primus Adamus erat concinna figura secundi,
Qui venit coelo, magnum patris incrementum,
Christus, naturæ confors hominisq; Dei que,
En caput hunc solum sine membris noluit esse
Omniparens: Ex hoc capite est Ecclesia corpus.
E Christi latere effluerunt sanguis & unda:
Hæc est materies ortus veræq; salutis
Electi cœtus, sibi quem desponsat in ævum
Omne Dei natus: cum fuso sanguine & unda
(Cum fontes inter penderet mortuus in fons)
Unâ vita tua & mea manat: sanguine & unda
A peccatorum mundamur sorde, novæq;

Per

Per patris & nati, **Spirabile** numen, amorem,
 Parte creaturæ fimus meliore, renati:
 Et caro de Christi carne, ossa ex ossibus ejus.
 Felicem sponsam, sancto quam Flamine Christus
 Rex genuit, fraterq; idem, sponsusq; piorum:
 O pulcram sponsam, sancto quam flumine lavit,
 Abstergens prima concretam ab origine labem.
 O augusta caro, sibi quam quoq; sanguine junxit,
 Quamq; suæ associans massæ complexibus arctis
 Nutrit, amat, fovet, & casu defendit ab omni.
 Cum Christo velut unus homo est **Ecclesia sancta**.
 Ille equidem semper peccato nudus ab omni:
 Hæc exuta hominem veterem, **spoliata** reatu
 Nativi vitii, propria nudata sed omni
 Justitia interna, quæ placet **Numinis iram**,
 Cum sit amicta sui sponsi fulgente decore,
 Unum quem reverenter habet, cui semper adhæret
 Uni, nec, sectans alios fit adultera, amores:
 Non oblita fidem, non pactæ foedera dextræ.
 Psallite Christiades, *Augusto* applaudite sponso;
 Dum canimus sponso, castum celebramus amorem
 Sponsi, quo fruitur communio sancta piorum.
 Crescite, ait Dominus junctis nuptæq; viroque:
 Pignora multa tori date, foecundiq; replete
 Terram. Vis verbo non defuit: & labor illis
 (Si fuit ille labor) non segnis, pluribus annis
 Non parvam cupidè generando educere prolem:
 Et dare, cura fuit Domino, successa laboris.
 Sic legit sanctumq; dedit pater agmen in orbe
 Christe tibi, sibi filiolos ut procreet usq; &
 Usq; novos, te operante unà cum rore sacrato,
 Corda rigante pia, & coelestis semine verbi,
 Ut, quæ nexa fide tibi sponsa est unica, tecum

Sublimem cœli Reginam in scepra reponat.
Et sic innumeris repleatur civibus aula
Patria, quâ sancta omne Trias laudetur in ævum.
O regnum augustum: subiit præcordia nulla
Gloria dives opum, dabitur quas cernere coram,
Cum tibi in occursum rapiens sponse optime sponsam
Hanc, supra evehctus nubes, septusq; cohorte
Aligerum, sistes patri æternumq; beatam
Subjicies, ut sit Deus omnia in omnibus unus.

Claudite Christiades, *Augusto* claudite carmen,
Conjugioq; ejus votis exposcite pacem,
Augustamq; domum cum multæ prolis honore.

Tranquillare torum dignare ô Christe piorum,
Fœcundare torum dignare ô Christe piorum,
Da tuus *Augustus* lectum tibi adaugeat agmen,
Da tua ut *Elisabe* plantaribus augeat hortum
Cœlestem, quem Sponse tuæ pulcerrime sponsæ
Rex auguste tuæ, sociæ lauri atq; triumphi,
Reginæ, quem perpetuis ô Christe Hymenæis
Sacraſti, & castis choreis & jugibus hymnis.
Gloria Io, Victoria jo tua *Christe* perennis.

*Rodolphus Goclenius Professor in Academia
Marpurgensi canebat.*

—o—o—

ALIUD.

Ethnica conjugium quo turba efferret honore,
Pluribus ostendunt scripta profana modis.
Jupiter excultus fuit inde Gamelius illis;
Et laudes habuit pronuba Juno suas:
Ille gravis fidei vindex autorq; jugalis
Creditus; hæc castum conciliare torum.

Et Cha-

Et Charites placare datis sine felle solebant;
 Vota simul Veneri fundere moris erat:
 Illa, conficerent expertem litis amorem;
 Hæc, thalami solem, prompta daret sobolem.
 Nos meliora decet doctos majora precari:
 Conjugium Christi no vimus esse typum.
 Qui, quali sponsam sponsus complectitur igne,
 Et fovet, & placida cum pietate regit,
 Tali in nos miseros fidei modo veste placentes
 Ardet amore, fidem firmat, ad astra vehit.
 Hæcce no vis rimanda fero mysteria Sponsis,
 Qui bene de Christi nomine nomen habent.
 Sponse Auguste tibi sacra sacri buccina verbi;
 Nec non Sponsa decens Elisabetha tibi,
 Quæ patre Pezelio pietatis semina præfers,
 Virtutumq; ferax hinc imitamen habes.
 Vivite concordēs, felices vivite Sponsi,
 Et bene sub Christi proficitote schola.
 Vivat Pezelius celebris, cursuq; secundo
 Pura Melanthonii semina spargat agri,
 Ut discant homines, quid distent æra lupinis,
 Unanimiq; colant corde fideq; Deum.

Hieron. Treutlerus J. U. D. Acad.
 Marp. Professor.

—§§—

A L I U D.

EXtrema tua scripta volant nomenq; per oras,
 PEZELI Aonii dux memorande chori:
 Tum, piscosus ubi sua torquet litora LANUS,
 Notus es, & Martis fortia castra rigat.
 Tum quæ cæruleis se tollit spumifer ALBIS
 Fluctibus, & Charitum pulpita docta lavat.

A 4

Nobile



Nobile ad extremum penetravit nomen amorq;
 HAMBURGI patriæ mœnia celsa meæ.
 Ergo meas tacitus non præterlaberis aures,
 Nec mihi PEZELII nomen abesse potest.
 Hinc absens absentis amo cognomina, vultum
 O mihi si liceat cernere quando tuum.
 Forfan amore tui ductus, tua recta revisam
 BREMA ubi Saxonice finibus alta jacet.
 Interea tedæ feliciter ire jugalis
 Quæ tu agnata parat, fœdera, vota dabo.
 Vive per innumeras vir præstantissime messes,
 Portio simq; animi fac aliquanta tui.
 Vivat & AUGUSTUS (tuus, ô Deus optime, præco)
 Cumq; sua Pylios transfigat oro dies.

Nicolaus à VVouveren Hamb. Saxo,
 Ignotus Ignoto F.

¶

A L I U D.

ET cuneus cuneum; truditq; sagitta sagittam:
 Quis contra vires robur Amoris habet?
 Divus Atlantiades humeros gravis alite telo,
 Telum sensit amans fortius esse suo;
 Daphnidis ut periit, pereuntis in arbore, vultu;
 Heu, quibus è pharetris est, ait, iste dolor?
 Vincimur à puero præcordia mascula ceco:
 Arma quid hîc profunt, vincimur, arma viri.
 Marte quid horridius? certat cum Marte Cupido!
 Mars posito victas extulit ære manus.
 Artibus auxilii si quid peteretur ab ullis,
 Inq; bonis studiis sciret asylon amans:
 In victas, Auguste, tuas mansisse pharetras
 Dixero, quæ cumulos divitis artis alunt.
 Victus es, & cessit superata sagitta sagittæ!
 Mortalem jus est cedere spontè Deo.

ER

*Est Deus, in nobis licitos qui suscit at ignes,
Est, qui connubium firmat amore, Deus.
Auspice dulce Deo scandas Auguste cubile,
Et memor in thalamo nominis esto tui.
Quippe, nisi feriat pharetris indigna sagitta:
Augeat Augustus qui volet esse domum.
Felix prole domum cui ceu munire sagittis,
Et veluti viridi cingere vite, datur.*

Hermannus Kirchnerus Herolsfel-
dianus Hassus.

ALIUD.


*SIC simili pietate viros coelestia jungunt
Numina, sic generum focero sub foedere dignum
Affociant digno, generiq; pari genus aptant.
Quo thalamis Auguste tuis gratabor amore?
Votaq; quæ solvam? gestit mens intima fibris,
Has tædas ardere tibi, te flamma digna
Cum videam, duciq; tibi tot honoribus auctam
Et patre prognatam, qui lampas ut aurea, sponsam:
Patria cui pietas & dos pulcherrima virtus
Insita, perpetuas accendit nomine laudes.
Quæ te, Pezeli, tellus & quod mare nescit?
Altera post magnum doctrinae fama Philippum
Flores, & meritis erga pia dogmata clares
Aeternis, succos ac mella Melanchthonis halans.
O quæ stelliferis pietas sedet alta theatris
Respiciat merita, & meritis tua grandibus æquet:
Et facit: illa tuis etenim prosperrima rebus
Semper adest, ac illa tuæ modò propubagnatæ
Conjungit virtute parem generisq; decore
Augustum generum tibi: quo tua filia felix*

A s Dici-



Dicitur, & fuerit thalamis augusta beatis.
Omina confirmet Deus, eventuq; secundet:
Tuq; patrone, dies Pylios mihi vive benignus,
Congeneremq; vide generi de sanguine stirpem.

*Johannes Haveman Bremensis amoris & ob-
servantia ergo F.*



ALIUD.

VIDES, ut ullâ nec prece supplice
Nec arte possis vel precio tuam
AUGUSTE dilectam jugales
Retrahere in thalamos maritam.
Quippe illa mortem passa, tibi vale
Jam dixit, & se cœlituum choris
Immiscuit, coramq; patris
Ætherei faciem intuetur.
Pone ergo luctum, sacraq; vincula
Subi secundò legitimi thori:
Dextramq; tende mox ELISÆ,
PEZELIO genitæ diserto.
Illa est, Deus quam fataq; mitia
Tibi esse junctam conjugio volunt,
Virgo venusta, dotibusque
Omnibus aucta piæ puellæ.
Quæ nec recusat, sed potius sua
Te sponte parens ritè parentibus
Vult conjugem, tuiq; consors
Confieri cupit una lecti.
Moraris? absit. quin citus occupa
Donum benigni numinis optimum:
Et carpe quotquot in piorum
Gaudia sunt thalamo jugali.
Hoc ipse rerum vult Jova conditor,

Hoc

Hoc suadet ardor mutuus, & tuo
Tuæq; gliscens fax sub imo
Pectore non leviter puellæ.
Quod restat, ô qui sceptrâ manu tenes
Potente mundi, Jova ter optime,
Tuere sponfos hos benignus
Incolumesq; diu reserva.
Fac ut valenti robore molliter
Seræ senectæ tempora tranfigant:
Fac filios, & filias, &
Tandem etiam videant nepotes.

DISTICHON EJUSDEM CONTINENS
annum & diem nuptiarum.

*LVX sacra Bartholemo CLaro Vt s'vrgbat In orbe,
AVgVsti LICItos Intrat ELIsa thoros.*

ANAGRAMMATISMUS EX NO-
MINE CHRISTOPHORI PEZELII
PLAVENSIS.

Is lupo harpe, uni Christo Zelus, seps?

SEPS & munimen **CHRISTO ZELVS**q; Pezeli
UNI, Christophori nomen & omen habes.

Viderit in Christum surgens te callidus hostis;
Fugerit, ac **HARPE** dicat **IS** ecce **LVPO**;

Ille lupo Satan, qui circumcursat ovile,
Ut rapido Christi devoret ore gregem.

HARPE morsq; **LVPO** fueris, **CHRISTVM**q; Pezeli
Defendas superum, Christophorumq; probes.

Sic tibi Nestoreos in terris, inq; supernis
Regnis æternos det **DEVS** ille dies.

EXPLI



EXPLICATIO ANAGRAM-
MATISMI.

O quam PEZELII rebus benè nomina quadrant!
Ille lupum, Christi qui circumcurfat ovile,
Ense fugat verbi divini, proque virili
Parte gregem Jovæ præsepit sacra professum:
Recto que ardescens zelo, nunc voce difertâ,
Nunc calamo quosvis animosus pugnat in hostes.

Joh. Grevenstein Bremensis.

F I N I S.



EXPLI



W 1996

8

ULB Halle 3
 002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 /

W 17


M





31.
35

NUPTIIS
REVERENDI ET OMNI VIRTUTVM DO-
ctrinarumq; genere ornatissimi viri, Dn. M. AUGUSTI
SAGITTARII Dresdensis, Ecclesiae Bremensis ad
D. Anselmum concionatoris fidelis-
simi, II. Sponsi:
CUM LECTISSIMA PUDICISSIMAq;
virgine ELISABETHA,
CLARISSIMI AT-
QUE INPRIMIS REVERENDI VIRI,
D. CHRISTOPHORI PEZELII, SS. THEOL.
D. & Professoris, Ecclesiarum Bremensium Pa-
storis & Superintendentis vigilantissimi, deq;
universa Germania optimè
meriti, filia:
Celebrandis ad D. XXIV. Augusti.
GRATULATIONES
*Consecrate à Profess. & amicis in Acade-
mia Marpurgensi.*



Marpurgi, typis Pauli Egenolphi. 1591.